





B. C. D.

DISSERTATIONEM PHYSICO-  
MEDICAM,

23

1707, 2

DE

TORTURIS,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO ATQVE EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO FRIDERICO  
WILHELMO,  
SCEPTRI BORUSSO - BRENNICI  
HEREDE, &c. &c. &c.

IN INCLYTA AD PREGELAM UNIVERSITATE  
ASCLEPIADÆO ORDINE GRATIOSE CONSENTIENTE

SUB PRÆSIDIO

BENJAMINI *Swaldt*

Med. Doct. Ejusdemq; Prof. Publ.

*Publicæ Censuræ exponit*

JOHANNES SIMON *Bedenstein*  
Dantiscanus.

IN AUDITORIO MAXIMO

ANNO MDCCVII. die 2. Augusti. *Septemb.*

REGIOMONTI, Typis GEORGIANIS.

Inclyto  
Primariæ  
GEDANENSIUM  
Civitatis  
**DICASTERIO**

*Viris Generosis, Nobilissimis, Amplissimis,  
Consultissimis,*  
**PATRIBUS THEMIDOS  
CONSCRIPTIS**  
*Dominis, Patronis ac Mæcenatibus*  
eo quo par est obsequio  
*Colendis*

Hancce Dissertationem  
Rationem studiorum suorum, quam iis debet  
reddere inchoaturus,  
Ulteriora promittens,  
Fidemq; qua se obstrinxit

**PATRIÆ**

omni modo exfolaturus.

Voto omnigenæ felicitatis addito

*Favorem Eorum ac Munificentiam*

quam expertus est  
Studiis suis denuò expetens

D. D. D.

*Cliens Eorum devotissimus*

*Johannes* **JOHANNES SIMON Beckenstein**

Ged. J. U. St.

PROLEGOMENA.

**N**on minor olim fuit Summus Deorum Jupiter, ubi aliquando vel Arcadiæ tuguriola, aut Baucidos intravit tabernacula: neque auctoritati propriæ dignitativè contratendunt Æsculapii ac Apollinis qui Medicinæ Sacra satis degustârunt Filii, quando subindè, postquàm triclinia grabatulosvè hominum ægrotantium satis visitârunt, Themidis quoque loca *Tormentis* destinata requisiti frequentant. Videlicet non pilulis pulveribusque, aut ejuscemodi aliis præscribendis formulis, alligatum tantum esse Medicum, sed & negotiis forensibus totiès totiesvè interesse debere, diluescere poterat ex Dissertatione nostrâ olim habitâ de *Medici Taciturnitate*, & è nuperrimâ de *Obstetrice Inculpatâ*. &c. Namque spinosissimas subindè obscuritates difficultatesvè reperiunt Judices in delinquentibus quibusdam personis, ut Jovem quis juraret lapidem! innocentes esse easdem, quibus extricandis idoneum satis remedium, quò cum in veras factorum circumstantias & causas sese intinquare posse putant, *Torturam* nempe, in adjuvamen vocitant. Ast cum sæpius hõce sub ipsò examine rigorosò quidam homines animam, quam pridem acceperant, ad Deum, illum omnium Autorem, remittere inopinatò conspiciantur; quorundam vero nebulonum corpora cruciatibus ferendis satis sunt affvefacta, ut vexata sæpè fortitudo velut in callum saltèm duretur, nullaq; hinc factorum confessio veniat expectanda; Indè JCu ex Medicis sciscitare consueverunt: *quenam præcipue sint cause medicæ torturam in certis individuis vel impedièntes, aut certè dissuadentes?* Cui

stioni satisfacere quadantenus allaborabimus in præ-  
senti specimine; Hoc verò si Tibi L. B. ad palatum,  
non ex asse fuerit, cogites saltèm: bonum quandoque  
etiàm dormire Homerum. Intereà Maronianum  
illud ad specimen hocce nostrum apponimus:

*Nunc Te stramineum pro tempore fecimus, olim*

*Si fœtura gregem suppleverit, aureus ibis!*

§. I. Synonyma esse hõc locò bina ista vocabu-  
la *Torturam* scilicet ac *Tormentum*, ex subsecuturis s'is  
fatis apertè constabit. Definiri autem *Tormentum*  
hõc sensu vel in genere potest secundùm *Basil. Fabr. in*  
*Lexic.* quod significet cruciatum, quò exploratur veritas;  
Vel in specie magis, quod sit inquisitio severior  
delicti capitalis cum cruciatibus variis corporis, ad  
mentem *Brunonis in Lexic. Medic.* Aut denique propri-  
issimò in significato, quod sit cruciatus corporis à Judi-  
ce imperatus, & ad veritatem ex Reis tantò melius in-  
dagandam institutus. *vid Carrer. in Pract. Criminal. in*  
*Princ. Num. 171., & Grilland. de Quest. & Tortur. Dub. 1. Num. 3.*

§. II. Magnam hinc operam in doctrinà istà *de*  
*Tormentis sustinendis* enucleandà collocavit olim Celebris  
Medicus *Fortunatus Fidelis* in curiosò non minùs quam  
laboriosò suò tractatu: *de Relationibus Medicorum Lib. 2.*  
*sect. 3*, quem libellum idcirco multà & proficuà refer-  
tum esse doctrinà testatur strenuus ipsius, ut videtur,  
scholiastes *Paulus Zachias in Quest. Med. Legal. Lib. 1. Tit.*  
*II. Qv. 3. p. m. 35.*, verùm enim verò propter seculi isti-  
us infelicitatem multas circumstantias intimioresvè  
rerum causas ac differentias ipsum præteruisse *fidelem*,  
ex lectione Ipsius facile apparet.

§. III. Etenim vix ac ne vix quidem ab ipso ob-  
servata fuit ratio graduum *Torturæ*, qui tamen ut mi-  
tiores

5  
tiores, vel fortiores, aut fortissimi etiã, maximoperè at-  
tendendi erant, siquidẽ pro horum varietate, effectus  
quoque variãnt, quando videlicet quidam distorsionem  
ac dislocationem membrorum corporis, quidam verò  
mortem ipsã in certis subjectis comitem secũm du-  
cunt. De posterioribus torturæ gradibus quæstiones  
controversæ instituantur, non æque de prioribus.

§. IV. Judex enim ex Medicò quærit haud ampliùs:  
utrum v. gr. tormentum chordæ (quando scilicet à ter-  
gò contortis brachiis, ligatisq; extremis manibus, sur-  
sum homo longò trahitur fune, atque indè suò ponde-  
re magnã vi deorsum decedit, cum tamen antea ali-  
quandiu non procùl à terrã suspensus pependit) lu-  
xationem inferre possit, aut planè fracturam brachii,  
ut adè inaptus postmodũ ad labores perpetrandos  
evadat? cum pœnæ locò sit tormentum tale in hodiernis  
quibusdam Judiciis bellicis, atq; in Italiã satis fami-  
liari titulò *Strapicorda* nuncupetur, luxatioque talis hu-  
meri recens facta levi subindè possit curari negotiò.

§. V. Negat equidẽ luxationem humeri, sicuti  
in genere, ita in specie, ex tali fieri posse tormentò l. a.  
*Fidelis*, adductã hunc in finem autoritate *Hippocratis Text.*  
*I. Lib. 1. de Articul. & Medicorum primicerii Galeni Lib.*  
*1. de Articul. Comm. 3;* verũ rationes ibidem allegatæ  
in solã ipsius fundatæ sunt autoritate, propterea easdem  
quoque emasculare fatiis est. Videlicet objicit (1.)  
quod nullius ossis è sede suã dimotionem in istò casu  
viderit, (2.) quod recens è tormentò tali solutos  
spontè brachia nullius ope diversimodè movisse  
observaverit. Verũ enim verò si concussio, casus,  
ac extensio brachii nimia mox luxationem humeri, ex  
mente Modernorum Medicorum, secundũ principia

genuina anatomica, inferre possunt, quid non lapsus vel concussio talis totius corporis maximè violenta efficiet? De Virò quòdam luxationem humeri facili occasione & crebro incurrente historiam refert *Job. Schenk. Obs. Med. L. 5. p. 725.* vide quoque *Nicol. de Bleigny. Zod., Med. Gall. Ao. 1. Mens. Octobr. Obs. 6. 159.*

§. VI. Jamque ut brevissimis nosmet expediamus indigitare æquum judicamus, de summis tantum torturæ gradibus, quando nempe eqvuleo, vel scalis sic dictis gemoniis, imponuntur delinquentes personæ, ac sic valdoperè excruciantur, ad eruendam eò magis veritatem, per contumaciam ac malitiam hætenus suppressam nos hâc vice fore sollicitos, circumspiciendò: quænam exceptiones, & ratione earundam ætatum, & constitutionum, sive naturalium, sive præternaturalium etiàm, attentionem præcipuam mereri possint.

§. VII. Ibique mox ratione ætatis personæ torquendæ notandus iterum venit *Fidelis*, qui l. c. immunem talem à tormentis esse in pubertate adhuc degentem asserit, quod videlicet partim corpus ipsius nondum firmiter suis compactum sit articulis, partim etiàm imbecille nervorum præsupponat principium &c. Verum enim verò, tacemus his nostris temporibus nunquam, aut certè rarissimè, pueros vel puellas torturæ subjici; Hoc certum stat, ratumque manet, in secundò jam ætatis septenariò membra cuncta, cæteris paribus, satis esse compacta, ut minimè hinc totalis machinæ metuenda humanæ veniat ruina.

§. IIX. Quod autem ætatem concernit decrepitam, quæ à nonò præprimis computanda septenariò est, illa equidèm aliquam à tortura exceptionem impetrare possit, quoniam his innumeræ obvenientes annis ægri-



ægritudines, v. gr. visus obscuratio, memoriæ imbecillitas, auditus defectus, tremores artuum &c. satis indicant: magnis itineribus ad interitum properare tale corpus. Inde quoque Romani fors sexagenarios viros ex ponte, h. e., ab omni suffragiorum jure, dejiciebant. Optimè tamen limitationem ingerit *Fidelis l. c.* excusari quidem sexagenarios homines à torturâ, nisi corpore ita sint valdè robusto, ut proprii temperamenti vis annorum evincat numerum. Sunt enim, inquit *Galenus de Miss. Sangv. Cap, 13.*, etiã quidam septuagenarii, qui multum habent sanguinis, ac vires possident robustas. Quamobrem non numero annorum animum advertere, sed magè corporis habitui, præstat.

§. IX. Majorem adhuc excusationem à torturâ Subjecta obtinent morbis fonticis valdoperè vexata, e. gr. apoplexiã, epilepsiã, syncope, peripnevmoniã, asthma, vomicã pulmonum, passione hysterica &c. quoniam (1) valdoperè afflictis, ceu vetus habet paræmia, non est addenda afflictio, (2) certum est, horum alicui morborum torturâ superveniente, infallibiliter mortem ex improvisò irrepere.

§. X. Hæc cum ita certa sint, quàm tùm muscarum esse plurimum cum caletur maximè, quæritur ulterius: quid agendum, si hypocritas agant personæ tales, seseque simulent morbis hujuscemodi fonticis, i. e. facilè lethalibus, affectas, annon tunc requisitus Medicus fallacias istas ac simulatas ægritudines facili detegere poterit methodo? Utiq! Nam, sicuti tres præcipue dantur modi, quibuscum Stratagemata talia instituantur, inculcante *Fideli l. c. L. 2. S. 2. C. 2.*, (1.) cum nulla Medico offertur ægritudinis talis facies, sed tantum langventium clamores ac quærimonias accipit,

(2)

(2) cum nonnulli quidem morbi haud obscuri offeruntur, sed qui tamen arte quadam excitati inductique sunt, (3) cum non ipsi quidem morbi, sed nonnulla tamen eorundem signa præmonstrantur, quæ ipsa etiam arte inducta, certos tamen comitari affectus solent; Ita his modis alii opponi possunt, quibuscum brevissimo temporis intervallò manifestantur, v. gr. (1) si morbus proponatur, cuius tamen nullas externas præcessisse occasiones advertere licet, uti passio hysterica: atqui nec refrigerium abdominis, nec odor sive volentium aut fetentium rerum, vel ira &c. anteiverint, fraus subest, (2) responsio hominum talium ad quæ sita probè ruminanda est, dum in iis, quæ fingunt ac mentiuntur, varii semper & inconstantes sunt, atq; in diversas vacillant partes, e. gr. si apoplexiam simulans probè consideretur: an subitanam sæpius vocis, motus, sensuum &c. sublationem, vel pulsum ac respirationem debilem, aut membra rigida, imò interdum resoluta patiat? (3) remediorum efficacia respicienda. Nam si quis morbum conqueritur, illi autem certa adhibeatur medicina, quæ sæpius alias manifestam opem attulit, at tamen nihil tum adjuvet, v. gr. si in synoptico subjectò salia volatilia cum solventibus aliis medicaminibus nihil præstent, doli suspicio adest, (4) propriæ morborum notæ valdè perscrutandæ sunt, eæ scilicet, quæ perpetuò affectum talem præter naturalem comitari consueverunt, ut si vomicæ pulmonum suspicio adsit, auditur tussis molesta cum difficultate respirandi, cernitur excretio puris per sreatum, vel potius vesicularum materiâ purulentâ turgidarum, sentitur pondus in pulmonibus, & majus quidem, quam in peripnevmonia, in quâ solummodò æstus in carò thoracis

9  
râcis ac in pulmonibus observatur, respiratioq; magis impedita, non nisi erectâ cervice fieri potest. Quod verò præsertim vomica talis pulmonum levi corporis concussione rupta facile necem possit conciliare, per multorum Medicorum Practicorum constat experientiam, *conf. Gvil. Ballon, L. 2. Conf. 6. p. 205. Joh. Schenck. Obs. Med. L. 2. p. 252. & 276. Nic. Tulaii Obs. Lib. 2. C. 10. &c.*

§. XI. Non prolixiores impræsentiarum erimus in recensendis compluribus aliis modis ac cautelis, quandoquidem unicuiq; prudenti Medico facili licet operâ technas destruere, quæ ratione reliquorum, à nobis superius enumeratorum, morborum, obvenire possent, malumus quippe algam, quàm crambem toties coctam adponere, multò minus de charta in papyrum quid transcribere placet, cum & hujus limites angustiores calami gradum respicere jubeant. Qui verò prolixitatem amat, superius à nobis citatum toties *Fidelem* adeat, in quo varia curiosa hanc materiam concernentia reperiet.

§. XII. Majoris adhuc obollæ controversia obvenit, si v. gr. fœmina favente Lucinâ fœtum sit enixa, hicq; rejectus mortuus inveniatur, ut adeò illa infanticidii rea, aut certè accusata, in carcerem conjiciatur, in quo, si nec per bona, nec per mala verba ac comminationes incitata, veritatem fateri velit, in tanta mentis in transversum actæ vertigine conceptæ ideæ per subsequenter torturam, vel eximuntur, vel mage stabiliuntur.

§. XIII. Interea cum rigidum hocce examen nulla hætenus sustinere fœmina sufficienter potuerit, ut potius innocens una alterave infanticidium nunquam

B

atten-

attentatum citissimè hodiernum adhuc confiteatur, adeoq; mortem, cogentibus fors aliis causis, quam natura reformidat, voluntas ipsius amplectatur. Hinc ante torturam institutam Judices iterum Medicorum solent implorare consilium, ne scilicet talem foeminam praedjudicatae accusationis poena corripiat, aut falsae magis opinionis luat consequenter supplicium, quaerendo nempe: an antiquum illud circa pulmones foetus institutum experimentum sit aeternae omnino veritatis? dum nimirum excissi pulmones aquae immerguntur, testimonium istos fundum aquae petentes praebere mortui adhuc in utero matris foetus, at vero aquae supernatantes de vita foetus extra uterum jam satis testari.

§. XIV. Hujus praemissa quæstionis invalidam ut demonstramus consequentiam, brevissimis saltem notamus verbis: dubiam in genere esse ac fallacem praesumptionem de violenta foetus extra uterum morte, nisi vel ex verissimorum testium ore, aut ex propria etiam inquisita foeminae, eaq; liberrima, habeatur confessione. Secus talis hariolatio est instar regulæ Lesbicae, quæ in materiâ curvâ curva, in rectâ recta est, adeoq; ubiq; sese accommodat. Inde infanticidam, aut certè suspectam talem personam, non absolvit, nec à tortura liberat, nec respirationem foetus in utero tollit pulmonum infantis in aqua subsidencia: Etenim diversissima subinde pulmonum observatur constitutio, ut alii foetus magis patulos poros ac cellulas habeant praereliquis.

§. XV. Ex hoc firmissimo principio fluit: (1) pulmones supernatare posse aquae qui è foetu mortuo fuere excissi, si scilicet hic in utero materno jam satis respi-

respiravit, cellulasq; adeo pulmonales satis habuit pa-  
tulas, *vid. Gvalt. Charleton. disqv. de Respirat. p. m. 197. seqq.*  
& *Christ. Warlitzii Scrutin. Lacrymar. Medic. Sacr. C. 7. p.*  
*m. 112. seqq.* (2) contra verò infantis vivi recenter nati  
nec adeo robusti, imò citissimè post partum suffocati,  
pulmones aquæ fundum petere posse, quia aër exteri-  
or nostra ambiens corpora nondum pervasit, nec tam  
levi operâ pervadere potuit pulmonum ipsius substan-  
tiam, *conf. Exc. Bohni Circul. Anatom. Physiol. Progymn. III.*  
*p. m. 39.*

§. XVI. Quid? quod in ipso etiam partu foetus  
sæpius enecari possit, non quidem culpâ matris, sed  
præcipuè ipsius uteri, si videlicet hujus strictissima ad-  
fuerit clausura, quæ egressum illius totalem interturba-  
verit valdoperè. Tales historias innumeras recensent  
Medici Practici, ex quibus hòc locò saltem allegamus  
*Greg. Herst. in Obs. & Epist. Medic. P. 2. Obs. 23. Fel. Plater.*  
*Obs. Medic. L. 1. p. 211. & Schenck. Obs. Medic. L. 4. p. 647.*  
*Cass. Theoph. Bierling. Cent. Advers. Curios. 92. p. 234. ac Beati*  
*Chr. Joh. Langii Diss. de Officio Medici in Partu difficili, Oper.*  
*Ejusd. Tom. 3. Diss. 43. p. m. 573. seqq.*

§. XVII. Eapropter securiori longè videntur tra-  
mite incedere Medici illi, quicumq; in obductione re-  
center factâ, si fieri possit, placentam uterinam cum  
funè umbilicali sibi tradi imperant, sciscitantes ac ocu-  
lari lustrantes inspectione: (1) an funis umbilicalis co-  
lore carneò vel albò gaudeat? an verò colore atrò aut  
lividò sit præditus? (2) an placenta uteri sanguine sca-  
teat rubicundò ac floridò? an verò purulentâ ac cœ-  
nosâ planè referta sit materiâ? In priori, ac secun-  
dum naturam constitutò casu, concludendum potius  
erit,

erit, foetum huncce vivum esse natum, interim aliquâ ratione five methodô celeriter mortuum; In posteriori autem casû potius pro mortuo in utero materno foetu sententia locum adæquatum inveniet.

§. XIII. Quando verò suspectam talem foemina nullatenus à tortura, extremâ necessitate exigente, esse eximendam adstruximus in §. XII; aliquam tamen puerperæ novellæ rationem habendam esse judicamus, videndo: qualium sit virium? an partus præcesserit difficilis? utrum etiam uterus partesve reliquæ genitales insignem passæ fuerint violentiam? an lactis adsit abundantia? &c. quoniam alteratio per torturam facta insignis, ac membrorum insuper jam morbidorum, vel vasorum etiam extensio nimia, rupturas mortemq; levi accelerare queunt negotiô.

§. XIX. Magna sine dubio quoq; cautela observanda venit in torquenda foemina quæ se simulat recenter imprægnatam, contra quam tamen non levis occurrat redargutio, quandoquidem ingravidatio primis temporibus planè non apodicticè demonstrari potest, cerebrumq; adeò in calce clausum gerat oportet, qui non æque perspiciat, insignem Obstetricum quarundam hancce esse temeritatem ac pervicaciam de illis rebus, quas oculorum acie perlustrare nequeunt, infallibile velle perlustrare iudicium. Hinc Medici Rationales negotium hocce ingravidationis minimè regulis metuntur artis, multò minus artificum decempedâ (nach dem verjüngten Maas; Stab) sed numerant abacò rationis, & experientiæ infallibilis ponderant bilance, notante *Ammano in Irenico suo p. m. 67.*

§. XX. Idcirco rigorosum hocce examen ad tempus

13

pns aliquod erit differendum, expectandô scilicet: an-  
signa quædam prægnantiæ appareant, nec ne? Sic  
enim Ægyptios jam olim delinquentes scæminas gravi-  
das à supplicio usque ad partum immunes reliquisse hi-  
storix referunt; ut inde CLAUDIUS Imperator meri-  
tò à prudentibus Justitiæ Antistitibus damnetur, utpo-  
te qui nec scæminas gravidas à supplicio perferendo un-  
quam absolvit. Talis quoq; miserabilis casus habetur  
apud *D. de Caux p. 182.* ubi gravida quædam scæmina sus-  
pendiô extincta fuit Parisiis, ex incauta Obstetricum  
ac Chirurgorum relatione, parallælamq; allegat histori-  
am citatus *Ammannus pag. 108.*

§. XXI. Quod autem verè imprægnata scæmina  
à tortura non tantùm abortum pati, sed & necem ipsam  
indubitato subire possit, rationi non minus, quàm ex-  
perientiæ est consentaneum. Quippe per dolores ni-  
mios tonus porosarum intenditur partium, ut hinc pro-  
pressione in venas auctâ orgasmus non tantùm excite-  
tur vitalis laticis, majorque fiat illius consequenter,  
imò excessivus ad uterum affluxus: verùm per exten-  
sionem quoque talem insignem uteri partim ligamenta,  
partim quoque fœtus lacerantur quadantenus vincula  
ac vasa umbilicalia, ut enormi superveniente hæmor-  
rhagiâ, & mater, & fœtus, tristi simul extingvantur  
experimentô. Quid enim saltem percussio ictu calca-  
nei facta præstiterit in gravida quadam scæmina? lege-  
re licet apud Eundem *Ammannum l. c. p. 111.*

§. XXII. Huc quoque revocare licebit casum,  
si v. gr. scæmina locô graviditatis hydrope sit correpta,  
qualia exempla recensent *Hildan. Obs. Cent. 2, Obs. 56, p. 224.*  
*Plater, Lib. 3. p. 595, & seqq. Paul. Repealm, Obs. 146. p. 109.*

*Joh. Schenck. Obs. Lib. IV. p. 630. Gabelchov. Obs. Cent. 3. p. 59;*  
ubi sanè ob metuendam rupturam præcipuè vasorum  
lymphaticorum, tortura meritò differtur.

§. XXIII. Quemadmodum pariter obœsi nimis  
homines à tormentis nimis excipiuntur, ne scilicet  
commotis summoperè humoribus in corpore latitantibus  
ac resolutà valde pingvedine, suffocatio speranda  
veniat. Quæ limitatio quoque in subjectis benè potis  
ac panticibus suffartis præditis locum invenit adæquat-  
um. Herniosi quoq; homines exceptionem haud le-  
vem merentur, imprimis si torturæ gradus extensivus  
institui debeat, namque partes ipsorum laceræ, per ul-  
teriores, & quidem violentas factas expansiones, con-  
vulsiones facillè incurrunt, & sic per consequens morti  
citò planum panditur amphitheatrum.

§. XXIV. Ast si exceptiones hætenus à nobis  
adductæ jam fuerint limitatae, h. e. si persona quædam  
in tali sit statu, ut actu torturæ subjiciatur, num Lipo-  
thymia superveniens signum dabit sufficiens definendi  
ab ipsa? Neutiquam! quandoquidem hæc vix angus-  
tia præcordiorum nominanda est, qualem Viri nodu-  
lorum thoracis reseratione; fœminæ verò thoracum  
illorum loricatorum, ossibus nimirum balænarum sub-  
textorum, relaxatione testantur, aut ad minimum pa-  
riter simulari potest. Inde potius consiliò Ejusdem *Fæ-  
delis l. c.* respiciendum erit: ad (1) excessivos corporis  
sudores, eosque frigidos, (2) cadaverosum corporis  
colorem, imprimis faciei, (3) totius corporis delassati-  
onem atque lentorem, (4) vocis langvorem ac stento-  
rem, (5) creberrimam ac difficilem respirationem, (6)  
salivam copiosam ex ore excidentem &c. Hæc si con-  
spici-



15  
spiciantur signa in persona torturæ subjecta, solvenda  
protinus erit ab illa, ne relictæ diutius magnâ, & Judi-  
cis, & torquentis, deficiat infamiâ.

§. XXV. Coronidis locò controversiam istam ac  
quæstionem curiosam à Quibusdam ventilatam binis  
quasi adhuc attingimus verbis: utrum nimirum claudi-  
cantibus fors, vel podagricis hominibus, tortura me-  
delæ locò possit venire? Arque respondemus saltem  
cum supra citato *Ammano l. 6. p. 174.* esse rem liberri-  
mæ voluntatis, interim remedium admodum ignomi-  
nicum, quemadmodum pariter fustigatio est, quando  
videlicet pro frictione substituitur. *Vid. Job. Hornii Mi-  
crotechn. p. 77. Pauli Zacchie Quæst. Med. Legal. p. 289.*

*Hildan. Obs. 79. Cent. 1. Fori. Fidel. l. c. p. 176.*

*Amman, med. Critic. p. m. 159. &c.*

## TANTUM!

---

# COROLLARIA.

### I.

Vana est distinctio Spirituum, sic di-  
ctorum, nostri corporis, in animales, vi-  
tales, ac naturales, &c.

### II.

Imò reverà Spiritus tales in nostro  
COR-

corpore nulli dantur, ac sunt mera Non-  
Entia.

## III.

Chylificatio, juxta *Helmontium*, mini-  
mè est species transmutationis rei in rem,  
quandoquidem nullum alimenti genus  
totum in chylum facessit.

## IV.

Cor nec primum movens est, nec ul-  
timum moriens.

## V.

Conveniens Motus & Modus, bina  
sunt fulcra conservandæ sanitatis!







7+10  
7A → 7B  
f

ULB Halle 3  
004 598 555



KM7





B. C. D.

DISSERTATIONEM PHYSICO-  
MEDICAM,

DE

TORTURIS,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO ATQUE EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO FRIDERICO  
WILHELMO,

SCEPTRI BORUSSO - BRENNICI  
HEREDE, &c. &c. &c.

IN INCLYTA AD PREGELAM UNIVERSITATE  
ASCLEPIADÆO ORDINE GRATIOSE CONSENTIENTE

SUB PRÆSIDIO

BENJAMINI *Swaldt*

Med. Doct. Ejusdemq̄ Prof. Publ.

*Publica Censura exponit*

JOHANNES SIMON *Beckenstein*  
Dantiscanus.

IN AUDITORIO MAXIMO

ANNO MDCCVII, die 2. Augusti. *Septembr.*

REGIOMONTI, Typis GEORGIANIS.

23  
1707, 2

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres

Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40